

7192
N° 3 B.

MARS

1914

BULLETIN INTERNATIONAL
DE L'ACADÉMIE DES SCIENCES

DE CRACOVIE

CLASSE DES SCIENCES MATHÉMATIQUES ET NATURELLES

SÉRIE B: SCIENCES NATURELLES

ANZEIGER

DER

AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

IN KRAKAU

MATHEMATISCH-NATURWISSENSCHAFTLICHE KLASSE

REIHE B: BIOLOGISCHE WISSENSCHAFTEN



CRACOVIE

IMPRIMERIE DE L'UNIVERSITÉ

1914



rcin.org.pl

L'ACADÉMIE DES SCIENCES DE CRACOVIE A ÉTÉ FONDÉE EN 1873 PAR
S. M. L'EMPEREUR FRANÇOIS JOSEPH I.

PROTECTEUR DE L'ACADÉMIE:

S. A. I. L'ARCHIDUC FRANÇOIS FERDINAND D'AUTRICHE-ESTE.

VICE-PROTECTEUR: *Vacat.*

PRÉSIDENT: S. E. M. LE COMTE STANISLAS TARNOWSKI.

SECRÉTAIRE GÉNÉRAL: M. BOLESLAS ULANOWSKI.

EXTRAIT DES STATUTS DE L'ACADÉMIE:

(§ 2). L'Académie est placée sous l'auguste patronage de Sa Majesté Impériale Royale Apostolique. Le Protecteur et le Vice-Protecteur sont nommés par S. M. l'Empereur.

(§ 4). L'Académie est divisée en trois classes:

- a) Classe de Philologie,
- b) Classe d'Histoire et de Philosophie,
- c) Classe des Sciences Mathématiques et Naturelles.

(§ 12). La langue officielle de l'Académie est la langue polonaise.

Depuis 1885, l'Académie publie le «Bulletin International» qui paraît tous les mois, sauf en août et septembre. Le Bulletin publié par les Classes de Philologie, d'Histoire et de Philosophie réunies, est consacré aux travaux de ces Classes. Le Bulletin publié par la Classe des Sciences Mathématiques et Naturelles paraît en deux séries. La première est consacrée aux travaux sur les Mathématiques, l'Astronomie, la Physique, la Chimie, la Minéralogie, la Géologie etc. La seconde série contient les travaux qui se rapportent aux Sciences Biologiques.

Publié par l'Académie
sous la direction de M. **Ladislav Kułczyński**,
Secrétaire de la Classe des Sciences Mathématiques et Naturelles.

19 maja 1914.

Nakładem Akademii Umiejętności.

Kraków, 1914. — Drukarnia Uniwersytetu Jagiellońskiego pod zarządem Józefa Filipowskiego.

*Aranearum species novae minusve cognitae, in montibus
Kras dictis a Dre C. Absolon aliisque collectae.*

Mémoire

de M. *VI. KULCZYŃSKI* m. t.

présenté dans la séance du 2 Mars 1914.

(Planche 16).

Araneas, quae infra describuntur, plerasque Cel. Dr. C. Absolon. Musei Moraviensis Custos, legit, qui compluribus ab annis summâ cum diligentia incumbit ad montes Austro-Hungariae et Peninsulae Balcanicae, qui Kras dicuntur, explorandos. Faunam quod attinet, Cel. C. Absolon curam imprimis in speluncas horum montium, quae numerosissimae sunt, perquirendas posuit, quo in studio adjuverunt eum socii: Cell. K. von Ahrenstorff, J. Kletler, O. Kaut, U. Girometta alique.

De Arachnoideis operâ Cel. C. Absolon in speluncis Balcanicis collectis haec relatio iam secunda est; prima anno 1912 prodit¹⁾. Haec non nisi descriptiones earum specierum continet, quae novae aut non satis notae videntur; indicem completum Araneorum a se collectarum ipse Cel. Absolon proferet alio loco.

Exempla specierum hic descriptarum in thesauro Cel. Absolon conservantur.

Paraleptoneta orientalis n. sp.

Tab. 16, fig. 1.

Femina.

Cephalothorax 0.85 mm longus, 0.63 latus, subtiliter reticulatus, dorso — si oculi prominentes negliguntur — modice et subaequa-

¹⁾ K. Absolon, Dva nové druby Arachnidů z jeskyně bosensko-hercegovských a jiné zpravy o arachnofauně balkánské. (Časopis Moravského zemského Musea, a. XIII, 1912).

biliter convexo, pone aream oculorum mediorum impresso, in mediâ parte altissimo, ornatus circiter in $\frac{4}{5}$ longitudinis foveâ sat magnâ et profundâ, rotundatâ (paulo cordiformi) et ad eius marginem anticum sulco brevi, parum perspicuo. *Oculi* decolores, antichi supra colore umbrino cincti; area oculorum 0.17 longa, 0.15 lata; diametri oculorum posticorum 0.06 et 0.034, anticorum lateralium (paulo angulatorum) 0.055, anticorum mediorum 0.055 et 0.05 longae; oculi postici inter se et antichi medii cum lateralibus fere contingunt, antichi medii ca. 0.01 mm inter se distant; postici medii ab anticis lateralibus 0.055, ab anticis mediis 0.095 remoti. Clypei pars infima, 0.025 lata, membranacea videtur, a parte superiore carinulâ tenuissimâ, ab oculis anticis mediis 0.12 distanti distinguitur. *Mandibulae* 0.44 longae, 0.18 latae, paene laeves, in dorsi parte interiore superiore pilo forti ornatae, ceterum pilis tenuibus dispersis instructae; sulcus unguicularis in margine antico dentibus 7, basim mandibulae versus gradatim minoribus, spatiis subaequalibus inter se remotis, in margine postico dentibus, ni fallor, 4 armatus. *Sternum* laeve, modice nitens. *Palporum* pars femoralis 0.84, patellaris 0.24, tibialis 0.56, tarsalis 0.65 longa, palpi itaque longissimi; armatura eorum insignis: pars femoralis subter ad latus exterius aculeis 6, tuberculis parvis innatis, erectis, usque ad 0.45 longis armata; aculeorum primus parum a basi internodii distat, sextus prope apicem situs est (in exemplo nostro modo aculei: 3, 4, 5-tus conservati sunt, aculei 2 et 6 us reliquis tenuiores fuisse videntur, fortasse pili potius dicendi); partis eiusdem latus inferius interius in mediâ parte aculeis similibus tribus, usque ad 0.3 longis, et apici propius pilo forti instructum; pars patellaris aculeo 0.25 longo, tibialis subter paribus 4 aculeorum usque ad 0.35 longorum (aculeus interior apici proximus pilus potius dicendus) instructa; pars tarsalis paribus aculeorum similium, minus patentium, duobus ornari videtur. Unguiculus partis tarsalis ca. 0.08 longus, inermis (?). *Pedes* (in exemplo nostro plane detriti) femoribus basim versus leviter incrasatis. Pedum I femur 2.7, patella 0.26, internodia pedum II 2.04, 0.24, 2.08, 2.01, 1.13, pedum III 1.70, 0.24, 1.57, 1.49, 0.89, pedum IV femur 2.27, patella 0.23 longa (reliqua internodia desunt). *Abdomen* 1.15 longum, 0.75 latum, 0.73 altum, desuper visum subellipticum; eius dorsum inaequaliter convexum in longitudinem, pone ad perpendicularum directum, pone paulo altius quam ante. *Mamillae* infimae 0.18 longae, basi 0.095 latae, apicem versus leviter

angustatae; *colulus* elongato-conicus, 0.065 longus, basi 0.032 latus. *Epigyne* fortiter convexa, male definita, 0.32 longa, ca. 0.45 lata, subtilissime dense transverse striata, sculpturâ evidentiore carens.

Cephalothorax cum sterno, maxillis, palpis, pedibus pallide flavus, mandibulae colore ferrugineo, labium colore umbrino suffusum; *abdomen* dilute avellaneum.

Mas ignotus.

Feminam unicam in spelunca prope Ostrožac (Hercegovina) legit Cel. O. Kaut.

Holocnemus (Hoplopholcus) Absolonii n. sp.

Tab. 16, fig. 24–27.

Femina.

Cephalothorax in lineâ mediâ 2.4 mm, clypeo excluso 2.18 longus, 2.55 latus, pone in sinum excisus ca. 0.08 profundum, 1.5 latum, utrimque angulo plerumque optime expresso et paulo elevato finitum (nota inconstans, quoniam scutum dorsuale parum induratum est); dorsum partis cephalicae, a latere visum, anteriora versus usque ad oculos paulo descendens; secundum margines laterales cephalothorax sulco bene expresso ornatur; sulci in foveâ mediâ initium capientes retro et paulo foras, versus angulos dictos directi; impressiones cephalicae profundae. *Oculorum* series posterior 0.83 lata, anterior eâ vix angustior, haec modice sursum curvata in cephalothorace directo a fronte adspecto, marginibus inferioribus oculorum lineam subrectam designantibus; series posterior recurvata, marginibus posticis oculorum mediorum cum anticis lateralium lineam leviter modo procurvam designantibus. Oculi postici medii 0.195 longi, 0.145 lati, laterales eâdem fere longitudine, ca. 0.18 lati, antici laterales 0.21 longi, 0.195 lati, medii subrotundi diametro ca. 0.07 longâ. Oculi postici medii inter se 0.18, a lateralibus posticis 0.095, a lateralibus anticis ca. 0.025, a mediis anticis 0.09, hi inter se ca. 0.015, a lateralibus anticis 0.16, a margine clypei 1.0 remoti, laterales antici cum posticis fere contingentes. Area oculorum mediorum pone 0.48, ante 0.17 lata, 0.31 longa. Oculi omnes convexi, postici, praesertim laterales, elevati. *Mandibulae* (retractae) 0.65 longae, 0.4 latae, in angulo apicali interiore dente gracili, nigro, deorsum et paulo intus directo, deorsum curvato ornatae, latere exteriori non striato. *Sternum* non tuberculatum, 1.15 longum, 1.55 latum (pone coxas II), pone in sinum obtusangulum, 0.52

latum excisum. *Palpi* non incrassati. *Pedes* I 59, II 44, III 35, IV 39 $\frac{1}{2}$ mm longi. *Abdomen* 4.5 longum, 3.5 latum, 3.2 altum, desuper visum ovatum pone latius (paene ellipticum). *Epigyne* similis atque in *Hoplopholeis* aliis, lamellâ ornata corneâ subsemicirculari (ex. gr. 1.2 latâ, 0.65 longâ, in alio exemplo 1.05 latâ, 0.48 longâ), formâ paulo varianti: aequabiliter, modice convexa, aut ad marginem posticum in parte mediâ et in latere utroque leviter impressa, pone recte truncata (quum ab imo adspicitur), aut leviter aequabiliter rotundata, aut in parte mediâ et in latere utroque paululo rotundata, inter partes has autem paululo sinuata.

Mas.

Cephalothorax in lineâ medianâ 2.18 mm, clypeo excluso 1.9 longus, 2.25 latus, sinu postico ca. 0.9 lato, marginibus ad eum non in angulum fractis, sed in arcum curvatis. *Oculorum* area 0.79 lata. Diametri oculorum posteriorum mediorum 0.135 et 0.18, lateralium 0.16 et 0.18, anteriorum lateralium 0.18 et 0.195, mediorum ca. 0.075 longae. Oculi postici medii inter se 0.17, a lateralibus 0.095, a mediis anticis 0.065, a lateralibus anticis ca. 0.025, hi a posticis lateralibus ca. 0.015, ab anticis mediis 0.13, hi inter se 0.03 remoti. Area oculorum mediorum pone 0.45, ante 0.18 lata, 0.29 longa; clypeus sub eâ ca. 1.05 altus. *Mandibulae* (exsertae) 0.73 longae, 0.41 latae, a fronte visae a basi medium versus in latere exteriore dilatatae, tum apicem versus paululo angustatae, dorsi parte apicali interiore magnâ depressâ, sulco unguiculari ut in feminâ armato, praeterea instructae in dorso prope a basi unguis, supra eam, dente forti nigro, deorsum et intus et paulo anteriora versus directo, paulo incurvato, apice obtuso, prope ab apice tuberculato, atque superius aculeis ca. 17 nigricantibus, brevissimis, paulo complanatis, obtusis, paulo claviformibus, in series inconditas tres digestis sursum et intus directas, basim mandibulae longe non attingentes; latus exterius in parte mandibulae latiore dense, valde subtiliter transverse striatum; organum stridendi adest itaque, alteram eius partem denticulus format minutus acutus, ad basim partis femoralis intus situs. *Palporum* pars femoralis modice sursum curvata, in latere exteriore prope basim in tuberculum corneum compressum obtusum, paulo oblique positum elevata, apicem versus fortiter et paulo inaequaliter incrassata et dilatata, a latere visa dorso concavo, latere inferiore in parte apicali insigniter convexo, in parte mediâ leviter sinuato. Partes patellaris et tibialis similes atque in specie-

bus affinibus. Partis tarsalis ramus a latere adpectus corpore circiter duplo tenuior, crassitudine maximam partem aequali, leviter deorsum curvatus, desuper visus corpore non duplo angustior, apicem versus modice angustatus, subrectus. Apice ramus hic in dentes duos fissus videtur, quum a latere adspicitur, paulo deorsum directos, inferiorem gracillimum, superiore longiorem (re verâ dens hic lamella est oblonga, paulo oblique acuminata) et superiorem crassum, apice obtusiusculum; desuper dens superior parum longior quam latior videtur, a basi in latere exteriori paulo dilatatus, tum apicem versus rotundato angustatus, apice obtusus, in latere interiori non procul ab apice paululo incisus; apex rami in latere exteriori in foveam excavatus est oblongam, in fundo pilosam. *Stemmatis* bulbus albus subglobosus; lateri eius exteriori sclerites adnatus est multo latior quam longior, in universum lamelliformis, in plano deorsum et paulo foras directo situs, in parte marginali inferiore intus flexus; margo apicalis (anticus) scleritae huius in sinus duos rotundatos excisus est, margo inferior autem in sinum unum obliquum, margines hi itaque dentes quatuor formant subtriangulares; dens anticus superior leviter intus curvatus est, dens anticus medius intus (exadversus bulbum) tuberculatus; ad angulum basalem superiorem scleritae bulbus processu parvo, elongato-conico, parum indurato instructus. *Pedes* I $51\frac{1}{2}$, II $38\frac{1}{2}$, III 31, IV 34 mm longi, femora I subter serie duplici aculeorum brevium (diametro internodii fortasse quadruplo breviorum) ornata in parte apicali circiter dimidiâ; basim internodii versus aculei hi sensim tenuiores fiunt et denique a pilis non differunt; reliquae pedum partes armaturâ non insignes videntur (in exemplis nostris maximam partem detritae). *Abdomen* 3.6 longum, 2.5 latum, 3.0 altum.

Occurrunt exempla minora, ex. gr. feminae cephalothorace 1.8, pedibus I 42 mm longis.

Maris palpi variant paululo formâ, etiam mandibularum armatura paulo mutabilis; haec praeter dentem descriptum ex aculeis modo 11 constare potest. Ramus partis tarsalis palporum a latere visus rectus est nonnunquam, a basi medium versus paululo attenuatus, tum apicem versus leviter incrassatus usque ad basim dentis superioris, qui tum a latere triangularis videtur, desuper autem latior quam longior, a basi primum dilatatus, apice late inaequaliter rotundatus.

Cephalothorax dilute flavidus dorso partis cephalicae et clypeo

colore ferrugineo plus minusve suffusis. *Sternum* isabellinum aut fulvum, badio marginatum in lateribus, vittis radiantibus ornatum fuscis utrimque tribus, plus minusve evidenter lineâ pallidâ dimidiatis, posticis plerumque melius expressis, nonnunquam omnibus in maculam maximam, male definitam confusis. *Mandibulae* pallide fulvae, in parte basali connatâ intus badio marginatae. *Maxillae* et *labium* colore sterni aut pallidiora, apice albida. *Palpi* feminae dilute fulvi. *Pedum* coxae dilute flavidae, ceterum pedes basi colore simili, apicem versus in universum sensim obscuriores, tarsis latericiis; femora apicem versus sensim obscuriora, apice modice late albo annulata; tibiae colore simili, praeterea basi pallide fusco-rufae; patellae colore basi tibiarum similes. *Abdomen* pallidius aut obscurius avellaneum, picturâ fuliginêâ, saepe omnino evanescenti ornatum: dorsum circiter in $\frac{2}{5}$ longitudinis pari macularum parvarum, rotundatarum, inter se longe distantium et in dimidio posteriore serie confertâ macularum quinque transversarum, spatium oblongo triangulare occupanti, mamillas longe non attingenti ornatum; macularum harum prima in medio interrupta, postrema punctiformis. Latera abdominis in parte superiore vittâ oblongâ et interruptâ picta, modo dimidium posterius, modo spatium multo minus occupanti; in laterum parte inferiore prope medium macula parva; nonnunquam abdomen etiam ad mamillas subter et in lateribus colore fusco contaminatum. Maris epigastrium maculâ fuscâ translucenti ad marginem ornatur. Lamella cornea epigynae latericia aut badia, ante maculâ translucenti nigrâ rotundatâ ornata, ad marginem posticum varium in modum picta (margo posticus plerumque reliquâ lamellâ obscurior est, nonnunquam contra in medio eâ pallidior; pars marginis huius libera nonnunquam utrimque maculâ nigrâ transversâ, saepius vittâ brevi obscurâ longitudinali ornatur); pone rimam genitalem epigastrium fasciâ pictum angustâ procurvâ, fulvâ aut latericiâ, aequae saltem longa atque epigyne lata est.

Mares et feminae lecta sunt prope Trebinje in speluncis: Ilijina pećina (leg. Cel. K. Absolon 20. VII 1912) et Zovica jama (leg. Cel. K. von Arenstorff). Teste Cel. C. Absolon incolit haec species multas alias speluncas Heregovinae meridionali-orientalis.

Quum mas huius speciei organo stridendi evoluto cum *Holocnemo*, femina contra eius defectu cum *Hoplopholco* conveniat, *Hoplopholcum*

Holocnemo ut subgenus subiungendum censeo, eique species eas adnumerandas, quarum feminae palpos non incrassatos, sternum non tuberculatum habent, organo stridendi carent.

Centromerus subcaecus n. sp.

Tab. 16, fig. 2.

Femina.

Cephalothorax 0.74 mm longum, 0.61 latus, lateribus supra basim palporum leviter sinuatis, hoc loco ca. 0.42 latus, omnium subtilissime reticulatus; pars cephalica paulo altior quam thoracica, dorso modice convexo in longitudinem, ante paulo fortius inclinato quam pone, in arcum aequabilem coniuncto cum clypeo, qui modice proiectus est. *Oculi* minuti diametro ca. 0.015—0.02 longâ, plani, pallidi, difficiliter cernuntur; antici medii desunt; area oculorum ca. 0.17 lata; oculi postici medii inter se circiter 0.06, a lateribus posticis et anticis 0.03, laterales antici a posticis ca. 0.15, inter se ca. 0.10 remoti; clypeus sub oculis anticis lateralibus 0.15 altus. *Mandibulae* (retractae) 0.38 longae, 0.18 latae, sublaeves, sub clypeo paululum modo convexae in longitudinem, lateribus exterioribus inter se in universum parallelis, levissime sigmoidibus, apice intus rotundato angustatae, armatae in sulci unguicularis margine antico dentibus 3, in postico denticulis 4. *Sternum* 0.4 longum, 0.35 latum, laeve; coxae IV inter se ca. 0.10 remotae. *Labium* subsemicircularare, 0.075 longum, 0.15 latum, apice late elevato-marginatum. *Maxillae* a basi labii 0.18 longae, prope medium ca. 0.13 (quum a parte posticâ inferiore adspiciuntur) latae (loco suo motae, nihilominus lateribus exterioribus anteriora versus paulo appropinquantes inter se), angulo apicali exteriori omnino rotundato. Femur, patella, tibia, metatarsus, tarsus *pedum* I 0.99, 0.25, 0.97, 0.79, 0.54, pedum II 0.96, 0.23, 0.87, 0.74, 0.52, III 0.83, 0.22, 0.68, 0.65, 0.45, IV 1.02, 0.23, 1.04, 0.84, 0.52 longa. Pedum I femora in latere antico aculeo 1, patellae omnes 1, tibiae supra aculeis 1. 1 et I praeterea in dimidio apicali lateris antici pilo reliquis fortiore ornari videntur. *Abdomen* ca. 1.0 longum, 0.55 latum et altum. *Epigyne* parum prominens, 0.24 lata, 0.19 longa, foveâ ornata partem suam posteriorem totam fere occupanti, ca. 0.065 longâ, ante margine definitâ insigniter impendenti, in arcus duos recurvatos fracto in medio in angulum subrectum, apice non rotundatum coeuntes; pars media fundi foveae scleritâ (qui certo

pars apicalis scapi complicati est) tegitur 0·12 lato, 0·08 longo, subrectangulo angulis posticis rotundatis, margine postico in medio paululo producto, subter in foveam semiellipticam profundam excavato.

Cephalothorax cum sterno et palpis dilute flavidus, *pedes* et *mandibulae* dilute testacea; *abdomen* avellaneum.

Mas ignotus.

Ilijina pećina prope Trebinje; feminam unam legit Cel. K. von Arenstorff.

Centromerus silvicola Kulcz.

Tab. 16, fig. 3.

Figura epigynae huius speciei, quam protuli in opusculo: Przyzzynek do tyrolskiej fauny pajęczaków (Symbola ad faunam Arachnoidarum Tirolensem) 1887, non bona est; processus cum margine antico foveae coniunctus multo latior est quam longior, posteriora versus fortiter dilatatus, pone late rotundatus, ante a reliquâ epigynâ non ita manifeste distinctus ut in figurâ dictâ; processus hic ceterum formâ paulo variat, plus minusve dilatatus est posteriora versus et angulos posticos plus minusve rotundatos habet (confertur figura 25 in „Araneae Hungariae“, vol. II, tab. III, prolata cum figurâ 3-â nunc secundum exemplum in Montenegro lectum delineatâ).

Etiam descriptio l. c. in lucem edita paulo emendanda est et supplenda. *Cephalothorax* et sternum valde subtiliter reticulata sunt; tibia I in dimidio apicali lateris antici aculeo debili ornatur ut in *Centromeris* aliis. Exempli in Tiroliâ lecti cephalothorax 0·85 mm longus est, pedum I tibia 0·65, cum patellâ 0·91, metatarsus 0·55, tarsus 0·44, partes respondententes pedum IV 0·74, 1·00, 0·61, 0·42 longae. Femina in Montenegro a Dre I. Dvorský lecta maior est, cephalothorace 0·95, partibus dictis pedum I 0·81 (1·08), 0·68, 0·48, pedum IV 0·94 (1·20), 0·79, 0·47 longis.

Lepthyphantes spelaeorum n. sp.

Tab. 16, fig. 4-8.

Femina.

Cephalothorax 0·78 mm longus, 0·65 latus, subtilissime reticulatus; dorsum partis cephalicae paululo convexum in longitudinem,

in universum sublibratum; clypeus modice proiectus, sub oculis impressus. *Oculorum* area 0.31 lata; series posterior paene recta (levissime procurva), anterior leviter sursum curvata marginibus oculorum inferioribus lineam subrectam designantibus; oculi postici medii paulo variabiles: evidenter oblongi diametris 0.055 et 0.067 longis, fere transverse positi, inter se 0.047, a lateralibus 0.033 remoti, aut fere rotundi diametro 0.055 longâ, inter se 0.055, a lateralibus 0.04 distantes; diametri oculorum posticorum lateralium ca. 0.06, anticorum mediorum 0.047, lateralium 0.067 et 0.06 longae; oculi postici medii a mediis anticis 0.06, hi inter se ca. 0.02 (aut paulo minus), a lateralibus 0.034, a margine clypei 0.15 remoti; area oculorum mediorum pone 0.16 (aut paulo minus), ante 0.11 (aut 0.10) lata, 0.15 longa. *Mandibulae* 0.35 longae, 0.17 latae, subtilissime transverse reticulatae, armatae in margine antico sulci unguicularis dentibus 3, in postico denticulis 5. *Sternum* laeve. Femora *pedum* I aculeo 1, reliqua nullo, patellae 1, tibiae supra 1.1, praeterea I in utroque latere pone medium 1, II in latere postico solum 1, metatarsi omnes aculeo 1 armati. Internodia pedum I 1.13, 0.27, 1.12, 1.02, 0.74, pedum II 1.04, 0.26, 0.97, 0.94, 0.70, III 0.87, 0.23, 0.75, 0.78, 0.53, IV 1.13, 0.24, 1.05, 1.02, 0.66 longa. *Abdomen* 1.5 longum, 1.05 altum, 1.0 latum. *Epigyne* insigniter prominens, ab imo visa 0.48 longa, 0.40 lata in margine epigastrii, a parte latissimâ posteriora versus primum insigniter, tum levius et paulo inaequabiliter angustata, in angulum acutum apice rotundatum desinens; a latere adspecta processum format circa 0.35 longum (pone), basi 0.2 crassum, retro et deorsum directum, in parte apicali retro curvatum, a basi apicem versus levissime incrassatum, latere superiore leviter concavo, latere inferiore in dimidio basali recto, in apicali convexo, in angulum acutum apice rotundatum desinentem. Partem maiorem processus huius (fortius angustatam) „paries basalis“ occupat pilosus et paulo rugosus; pars apicalis, 0.22 longa, e scapo complicato et „alis lateralibus“ constat; hae cum scapo contingunt, eo multo breviores sunt, a latere visae oblongae, apice rotundatae, longe non totam crassitudinem epigynae occupantes; pars earum basalis inferior, sulco plus minusve evidenti distincta, glabra; scapus ab imo visus 0.065 latus, pone alas laterales subito usque ad 0.10 dilatatus, tum lateribus paululo sinuatis angustatus, apice rotundatus, a latere adspectus in apice epigynae non, ut plerumque, in arcum curvatus, sed sur-

sum et anteriora versus in angulum acutum, apice plus minusve rotundatum fractus, in angulo hoc insigniter incrassatus; in latere epigynae postico, loco ca. 0.18 ab apice remoto scapus iterum subito fractus in interiora epigynae descendit et absconditur; e reliquis eius partibus plerumque post apicem „alarum lateralium“ tuberculum cernitur transverse positum, infra rotundatum, supra in angulum acutum contractum. — Paulo mutabilis est epigyne huius speciei: tuberculum commodum dictum nonnunquam alis lateralibus occultatur, nonnunquam contra in fronte eius infra tuberculum aliud minus, certo ad scapum pertinens conspicitur.

M a s.

Cephalothorax 0.82 mm longus, 0.71 latus; area oculorum 0.30 lata. Diametri *oculorum* posticorum mediorum 0.055, lateralium 0.06 et 0.068, anticorum mediorum 0.035, lateralium 0.06 et 0.07 longae; oculi postici medii inter se 0.048, a lateralibus 0.035, a mediis anticis 0.055, hi inter se 0.02, a lateralibus 0.028, a margine clypei 0.15 remoti; area oculorum mediorum pone 0.16, ante 0.095 lata, 0.14 longa. *Mandibulae* (retractae) 0.38 longae, 0.17 latae, apice intus rotundato angustatae, in latere exteriori organo stridendi e striis sublibratis constanti ornatae. *Palporum* pars femoralis ad basim intus denticulo corneo, ad organum stridendi pertinenti instructa; pars patellaris 0.15 longa, 0.11 lata, desuper visa latere interiore recto, exteriori leviter convexo, apicem versus longius et paulo fortius quam basim versus angustata, apice ca. 0.085 lata, supra aequabiliter convexa in longitudinem, setâ ornata ca. 0.25 longâ, aequabiliter attenuatâ; pars tibialis 0.15 longa, 0.14 lata, 0.13 crassa, desuper visa basim versus longius et fortius angustata quam apicem versus, symmetrica, a latere adspicere dorso aequabiliter et modice, latere inferiore inaequabiliter, apicem versus fortius convexo, pone basim supra setâ aequae fere atque seta patellaris longâ et crassâ instructa. Pars tarsalis 0.35 longa, ca. 0.25 lata et crassa, margine exteriori in dimidio apicali vix sinuato, prope ab eo in mediâ fere longitudine tuberculo ornata non alto, oblongo, paulo compresso, ante truncato, pone rotundato, quum a latere adspicitur; ceterum foveis et tumoribus caret lamina tarsalis. Paracymbium sat magnum; eius lamina reflexa in dentem desinit lamelliformem, triangularem, obtusum, a parte apicali paracymbii, quae stemmati adpressa, oblonga, obtusa, in longitudinem carinata est, sinu lato rotundato distinctum (qui sinus in palpo a fronte viso conspicitur);

margo laminae reflexae posterior (superior) ad apicem partis tibialis dentem format nigrum fortem, compressum, acutum, retro directum, sursum curvatum, et paulo poëne medium in denticulum humilem, rectangulum dilatatus est. Stemmatis lamella characteristica taenia est cornea, a basi stemmatis anteriora versus et foras usque ad eius apicem extensa, sigmoidea, apice furcata sive in ramos desinens duos elongato triangulares, acutos, paulo deorsum curvatos, angulum quam rectus minorem formantes; ramus interior paulo longior est quam exterior (hic 0.08, ille ca. 0.11 longus) et, ni fallor, mobilis. Ad medium fere marginem interiorem lamellae characteristicae spina initium capit paulo profundius sita, cornea, anteriora versus et paulo foras directa, deorsum curvata, usque ad apicem bulbi genitalis pertinens; in apice stemma unco gracili nigro instructum est. Internodia *pedum* I 1.10, 0.27, 1.13, 1.02, 0.73, *pedum* II 1.05, 0.26, 1.00, 0.91, 0.66, III 0.89, 0.23, 0.78, 0.76, 0.53, IV 1.10, 0.24, 1.10, 1.02, 0.66 longa. *Abdomen* 1.0 longum, 0.6 latum.

Cephalothorax cum mandibulis, maxillis, pedibus pallide fulvus, sternum et labium plus minusve infuscata, palpi sordide flavidi. *Abdomen* avellaneum, modo concolor aut ad mamillas solum infuscatum, modo in lateribus et subter umbrinum et supra fasciis ornatum ca. 6 umbrinis, totam latitudinem dorsi occupantibus, posteriora versus gradatim obscurioribus et tenuioribus, anterioribus 3 aut 4 in angulum gradatim latiore refractis, posterioribus leviter recurvatis; in exemplis pallidioribus vestigia picturae huius plus minusve manifesta cernuntur.

Bazgovača špilja (= spelunca) in insulâ Brazza, feminae (leg. Cel. K. Absolon 6. IX. 1913); spelunca prope Jazenik in Hercegovinâ septentrionali-orientali, mas et feminae (leg. Cel. I. Kletler).

Lepthyphantes istrianus n. sp.

Tab. 16, fig. 9, 10.

Speciei huius exemplum unicum vidi valde mutilatum. Simillima est ea speciei praecedenti, formâ epigynae manifeste distincta. *Cephalothorax* 0.8 mm longus, 0.65 latus, *pedum* IV femur 1.08, patella 0.23, tibia 1.04, metatarsus 1.00 longus; *abdomen* (cum mamillis) 1.25 longum. *Epigyne* (probabiliter loco suo mota) deorsum directa, a latere visa similis atque in priore, sed pars eius in scapum et alas laterales divisa insigniter longior: 0.29 longa; alae

laterales a latere visae ca. dimidio longiores quam latiores, lateribus subparallelis, apice rotundatae, dimidio circiter longiores quam in specie praecedenti (0.19 longae, 0.13 latae); e scapi partibus interioribus tubercula duo minuta conspiciuntur in epigynâ a latere visâ, ad marginem anticum (inferiorem) alae sita, neque pone eius apicem; scapus a parte anticâ inferiore visus elongatus, apicem versus aequabiliter angustatus, neque pone alas laterales dilatatus.

Istria: Grotta delle Druze; exemplum a Circulo „Club Turisti Triestini“ inventum communicavit mecum Cel. K. Absolon.

Lepthyphantes (?) *centromeroides* n. sp.

Tab. 16, fig. 11—13:

M a s.

Cephalothorax 1.15 mm longus, 0.95 latus, paene laevis, lateribus supra basim palporum paululo sinuatis, dorso inter partes thoracicam et cephalicam vix sinuato, in parte cephalicâ modice convexo, ante oculos versus descendentem, clypeo modice proiecto, in longitudinem paulo concavo; fovea media modice profunda, diffusa; impressiones cephalicae modice profundae. *Oculorum* area 0.37 lata (cephalothorax sub serie posticâ ca. 0.52 latus), series postica recurvata punctis mediis oculorum lateralium cum marginibus posticis mediorum lineam subrectam designantibus; series antica recta. Diametri oculorum posticorum mediorum 0.06, lateralium 0.065 et 0.055, anticorum mediorum ca. 0.035, lateralium 0.08 et 0.065 longae; oculi postici medi inter se 0.075, a lateralibus 0.06, ab anticis mediis 0.055, hi inter se ca. 0.023, a lateralibus 0.06, a margine clypei 0.23 remoti; area oculorum mediorum pone 0.18, ante 0.085 lata, 0.135 longa; oculi modice convexi; bini laterales tuberculo mediocriter evoluto innati. *Mandibulae* (retractae) 0.48 longae, 0.23 latae, obsolete transverse reticulatae. dorso sub clypeo parum convexo, lateribus exterioribus magnam partem subparallelis, prope apicem paulo a se discedentibus, apice intus rotundato truncatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3, medio reliquis insigniter maiore, in margine postico denticulis parvis confertis 4 armatae, in latere exteriori organo stridendi instructae. *Sternum* subtilissime reticulatum, 0.61 longum et latum, inter coxas IV, quae ca. 0.15 inter se distant, productum, sursum curvatum et in parte hac ca. 0.08 latum. *Labium* 0.21 latum, 0.11 longum; *maxillae* ab

eius basi 0.27 longae, ab imo visae ca. 0.17 latae, lateribus exterioribus anteriora versus inter se modice appropinquantibus, apice extrinsecus omnino rotundatae. *Palporum* pars patellaris 0.17 longa, 0.13 lata, ad apicem supra aculeo circa 0.2 longo, maximam partem subaequabiliter crasso, apice acuminato ornata; pars tibialis formâ insolitâ, 0.19 longa, 0.32 lata, 0.24 crassa, a basi subito incrassata et imprimis dilatata apicem versus (sed non usque ad ipsum apicem), supra et in latere exteriori superiore profunde et late impressa ita, ut hic tubera formet tria crassa obtusa in latere exteriori et in superiore et in superiore interiore sita. Pars tarsalis ca. 0.5 longa et crassa, ca. 0.4 lata; lamina tarsalis prope basim in conum elevata obtusum, sursum et retro directum, aequae circiter altum atque tuber tibiale superius, supra apicem paracymbii anticum superiorem tuberculo ornata minore, complanato, acie foras directo, late triangulari, obtuso, quum desuper adspicitur; ante tuberculum hoc et paulo demissius (margini exteriori laminae propius) sita est eminentia alia, item complanata, maior quam tuberculum, semilunaris in palpo desuper adspecto; margo laminae exterior in parte anteriore vix sinuatus. Paracymbium magnum et inaequale, in sinum excisum angustum, aliquoties longiorem quam latiore, curvatum, fundo deorsum et paulo anteriora versus directo; partis inferioris (liberae) paracymbii margo inferior arcuatus convexus, margo anticus inaequabiliter modice concavus, prope medium paulo excisus; in hac incisurâ sulcus initium capit fundo obtuso, marginibus elevatis, ex parte in carinam compressis definitus, versus fundum sinus dicti directus; apex paracymbii late rotundatus, lamelliformis, tenuis, extrinsecus leviter concavus. Stemma complicatum. Embolus, prope medium scleritae, qui partem interiorem stemmatis occupat, initium capiens, anteriora versus et foras directus, latus, maximam partem in carinam latam obtusam scabriusculam complicatus, modice interiora versus curvatus, imprimis aculeis fortasse 15 insignis brevibus, nigris, confertis, parallelis, quibus non procul a basi ornatur; ad partem hanc aculeatam, ante, impressus est embolus; e reliquis partibus stemmatis imprimis peculiaris est taenia longa cornea, ab angulo stemmatis basali interiore anteriora versus et foras directa, foras et paululo retro, denique subito anteriora versus curvata, prope ab apice, qui rotundatus est, in margine antico dente complanato oblongo acuto ornata; in stemmate non distorto taenia haec ad paracymbium pertinere videtur, quo magnam partem tegitur.

Pedum I femur aculeo 1 in latere antico, patellae aculeo 1, tibiae omnes supra aculeis 1.1 et anteriores in dimidio apicali lateris utriusque 1, metatarsi omnes aculeo 1 ornari videntur. Internodia pedum I 1.4, 0.34, 1.49, 1.33, 0.91, pedum II 1.3, 0.32, 1.29, 1.17, 0.84, III 1.07, 0.29, 0.97, 0.97, 0.65, IV 1.36, 0.30, 1.39, 1.36, 0.81 longa. *Abdomen* 1.3 longum, 0.9 latum, 0.8 altum, ovatum ante latius.

Cephalothorax cum sterno, partibus oris, palpis (parte tarsali obscuriore exceptâ), pedibus testaceus; *abdomen* avellaneum.

Femina ignota.

Species peculiaris, formâ partis tibialis palporum insignis, pedum armaturâ *Lepthyphantis*, maxillarum formâ et stemmatis fabricâ magis, ni fallor, *Centromeris* similis, fortasse generi proprio adscribenda.

Bosnia: spelunca Kočovica pećina in montibus Bjelašnica planina dietis (leg. Cel. K. Absolon 1. VII. 1912); Hercegovina: spelunca prope Ostrožac (leg. Cel. I. Kaut).

Taranucus¹⁾ troglodytes n. sp.

Tab. 16, fig. 14–20.

Femina.

Cephalothorax 1.15 mm longus, 0.95 latus, subtiliter reticulatus. *Oculorum* area 0.41 lata; diametri oculorum posticorum mediorum et lateralium 0.08, anticorum mediorum 0.055, lateralium 0.088 et 0.08 longae; oculi postici medii inter se 0.048, a lateralibus 0.055, a mediis anticis 0.08, hi inter se ca. 0.02, a lateralibus 0.06, a margine clypei 0.17 remoti; area oculorum mediorum pone 0.20, ante 0.13 lata, 0.20 longa; series oculorum ambae modice recurvatae, marginibus posticis posticorum mediorum cum punctis mediis lateralium lineam subrectam, marginibus inferioribus oculorum anticorum lineam leviter sursum curvatam designantibus. *Sternum* subtiliter reticulatum. *Mandibulae* (retractae) 0.45 longae, 0.23 latae,

¹⁾ Genus *Taranucus* difficile est ad definiendum. Speciei typicae: *T. setosi* Cambr. series oculorum postica leviter modo recurvata dici potest, margines postici oculorum mediorum cum punctis mediis lateralium enim lineam manifesto procurvam designant in cephalothorace directo desuper viso; oculi postici medii lateralibus non maiores sunt. Armatura pedum certam notam non praebet: teste Cel. E. Simonio species nonnullae huic generi subiungendae femora sex posteriora inermia habent.

subtilissime transverse reticulatae; sulcus unguicularis ante dentibus 3, pone denticulis 5 armatus. *Pedum* armatura in exemplis nostris non bene conservata: femur I aculeo 1 supra et 1 ante, II (?) et III supra 1, patellae omnes 1, tibiae supra 1.1, praeterea I et II in utroque latere 1.1 et subter 2 aut 3, metatarsi omnes aculeo 1 ornati videntur. Internodia pedum I 2.62, 0.42, 2.69, 2.53, 1.39, pedum II 2.27, 0.40, (2.49, 2.33, 1.26¹), III 1.94, 0.32, 1.81, 1.68, 0.91, IV 2.49, 0.36, 2.36, 2.23, 1.13 longa. *Abdomen* (post partum?) 1.7 longum, ca. 1.0 altum et latum. *Epigyne* ab imo visa 0.5 lata, 0.29 longa, parte pone epigastrium prominenti ventri adpressâ, ita ut a latere fere semiglobosa videatur; paries inferior pone utrimque leviter modo excisus est, e margine postico scapum emittit, cuius pars basalis, quae ab imo conspicitur, subsemicircularis est, ca. 0.24 basi lata, ca. 0.11 longa, insigniter in transversum et in longitudinem convexa, rugosa et pilosa; e reliquis partibus scapi ab imo conspiciuntur: apex ca. 0.05 latus, 0.015 longus, deorsum directus, et ad eum utrimque lamella nitida, glabra, ca. 0.095 longa, 0.015 lata, sub margine postico exteriori partis basalis scapi prominens.

M a s.

Cephalothorax 1.25 mm longus, 1.05 latus. Dorsum partis cephalicae leviter convexum in longitudinem, ante oculos versus paulo descendens. *Oculorum* area 0.44 lata; diametri oculorum posteriorum 0.08, anteriorum mediorum 0.055, lateralium 0.08 et 0.095 longae; oculi postici inter se 0.06, eorum medii a mediis anticis 0.095, hi inter se ca. 0.02, a lateralibus 0.065, a margine clypei 0.23 remoti; area oculorum mediorum pone 0.21, ante 0.125 lata, 0.20 longa. *Mandibulae* 0.57 longae, 0.26 latae, latere exteriori transverse striato (organum stridendi). *Palporum* pars patellaris 0.16 longa, 0.12 lata, supra ad apicem tuberculo ornata ca. 0.03 alto, conico, setam gerenti ca. 0.4 longam; pars tibialis corpore supra 0.21 longo, basi 0.068, prope apicem 0.13 lata, apicem versus itaque modice dilatata, desuper visa latere interiori parum curvato, exteriori sigmoidi, a latere visa basi 0.075, prope apicem 0.115 crassa, dorso parum curvato, latere inferiore leviter convexo; margo apicalis superior interior partis huius in lamellam dilatatus ca. 0.065 longam, 0.15 latam,

¹) Exemplum, quod dimensi sumus, caret tibiâ, metatarso, tarso II; moduli uncinis inclusi computati sunt secundum aliud quoddam exemplum.

sursum fere directam et parti tarsali adpressam; pars tarsalis 0.47 longa et aequae circiter crassa, ca. 0.4 lata. Lamina tarsalis valde inaequalis; margo eius exterior in parte anteriore in sinum latum non profundum excisus; pars basalis interior in processum magnum valde elevata, basi latum, in latere interiore convexum, in exteriori excavatum, apicem versus attenuatum et subcylindratum, apice obtusum, basi intus directum, sursum et retro curvatum; pars laminae exterior, a basi paulo remota, insigniter et inaequaliter tumida est; tumor hic et processus dictus a reliquis partibus laminae sulco distinguuntur valde profundo, acute impresso, intus directo, ad marginem laminae interiorum paulo recurvato, vadosiore et minus acuto; ad tuber hoc, ante, lamina in tuber elevata est crassum, subconicum, apice late rotundato sursum et paulo retro directum. Paracymbium magnum, inaequale; rami eius: superior (cum laminâ tarsali connatus) et inferior sinum includunt oblongum lateribus parallelis, fundo rotundato; pars paracymbii postica inferior producta, inferior rotundata, subplana; ad angulum posticum superiorem carina initium capit primum acuta, tum — ad fundum sinus dicti — in tuberculum parvum pallidum elevata, deinde obtusa, ad apicem rami inferioris pertinens, insigniter et fere aequabiliter curvata; supra hanc carinam ramus paracymbii inferior carinâ aliâ ornatur, lamelliformi, impendenti; acies huius carinae medium versus profunde oblique sinuata est. Stemmatis partem interiore sclerites format a basi stemmatis anteriora versus et paulo intus directus, prope medium in angulum fractus obtusum, inde anteriora versus et foras directus, apice dilatatus et oblique rotundato truncatus; cum scleritâ hoc, ubi infractus est, sclerites alius coniungitur primum foras et paulo retro directus, fere in semicirculum curvatus, usque ad apicem stemmatis fere pertinens, latus, magnam partem subplanus, apicem versus obtuse in longitudinem carinatus, parte quâdam marginali interiore, oblongâ, foras replicatâ, apice contractus et in dentes minutos tres desinens; apici scleritae huius et partibus laminae tarsali propioribus interiecta est membrana lata decolor pellucida, margine ciliato, concava. Internodia *pedum* I 3.08, 0.42, 3.24, 3.21, 1.55, pedum II 2.88, 0.39, 2.98, 2.91, 1.42, III 2.33, 0.34, 2.14, 2.17, 0.97, IV 2.91, 0.36, 2.88, 2.91, 1.26 longa. *Abdomen* 1.7 longum, ca. 1.0 altum et latum.

Cephalothorax cum mandibulis, maxillis, palpis, pedibus pallidus et obscurius fulvus, oculi colore nigro cincti, labium fuscum, ster-

num colore umbrino plus minusve suffusum. *Abdomen* avellaneum concolor aut subter et in dorsi parte posteriore colore umbrino suffusum et hic lineis aliquot transversis pallidis ornatum.

Heregovina: Vilina pečina prope Trebinje, femina (leg. Cel. C. Absolon); Papić pečina prope Trebinje, mas et femina (leg. Cel. K. von Arenstorff).

Taranucnus dalmaticus n. sp.

Tab. 16, fig. 21, 22.

Cephalothorax 1.3 mm longus, 1.13 latus, subtilissime reticulatus; dorsum partis cephalicae a puncto summo oculos versus paululo descendens; clypeus paulo proiectus, sub oculis modo impressus, ceterum rectus in longitudinem. *Oculorum* area 0.45 lata, diametri posticorum 0.095, anticorum mediorum 0.06, anticorum lateralium 0.095 et 0.088 longae; oculi postici medii inter se 0.068, a lateralibus 0.055, a mediis anticis 0.08, hi inter se ca. 0.02, a lateralibus 0.06, a margine clypei 0.20 remoti; area oculorum mediorum pone 0.24, ante 0.135 lata, 0.22 longa. Series oculorum postica modice recurvata punctis mediis lateralium cum marginibus posticis mediorum lineam subrectam designantibus, series antica paulo sursum curvata marginibus inferioribus in lineam paene rectam (vix recurvatam) dispositis. *Mandibulae* (fortiter retractae) 0.5 longae, 0.27 latae, obsolete reticulatae; sulcus unguicularis ante dentibus 3, pone denticulis 4 ornatus. *Sternum* subtiliter reticulatum, medioeriter nitens. Internodia *pedum* I 2.69, 0.45, 2.72, 2.53, 1.36, *pedum* II 2.49, 0.45, 2.49, 2.30, 1.30, III 2.14, 0.39, 1.91, 1.78, 0.87, IV 2.62, 0.39, 2.43, 2.27, 1.04 longa. Femora omnia supra aculeo 1, praeterea I ante 1, patellae 1, tibiae omnes supra 1.1, praeterea I et II ante 1.1, pone 1.1, subter 1.1 aut 1.1.1, aut latus anticum tibiae II aculeo 1 solum (paulo ante medium), metatarsi omnes aculeo 1 ornati; armatura haec paulo mutabilis, nonnunquam in femore uno alterove aculei 1.1 sunt. *Abdomen* 2.6 longum, 1.5 latum, 1.7 altum. *Epigyne* ab imo visa 0.47 lata, 0.42 longa; a latere visa processum format brevem, retro et plus minusve deorsum directum; ab imo adspetus paries inferior epigynae pone utrumque in sinum subsemicircularem excisus est, qui sinus inter se processu item subsemicirculari distinguuntur et cum eo spatium 0.24 latum occupant; re verâ epigyne pone foveâ unâ ornatur duplo circiter

latiore quam longiore, supra (exadversus ventrem) late apertâ; processus dictus, qui manifesto basis scapi complicati est, in transversum modice, in longitudinem fortius convexus, usque ad mediam foveam pertinet; e reliquis partibus scapi conspiciuntur: apex 0.065 latus, oblongus, subter excavatus, a margine foveae medio superiore retro et paulo deorsum directus, atque ad eum utrimque partes quaedam marginales anteriora versus et foras directae, extrinsecus convexae, intus excavatae (ex parte saltem), pone sat crassae, anteriora versus insigniter et inaequaliter angustatae, quum ab imo adspiciuntur.

Color similis atque speciei praecedentis.

Mas ignotus.

Mosor planina in Dalmatia: Jama (= spelunca) Golubinka (leg. Dr. C. Absolon).

Taranucnus Giromettai n. sp.

Tab. 16, fig. 28—30.

Femina.

Cephalothorax 1.2 mm longus, 1.0 latus, subtilissime reticulatus; dorsum partis cephalicae modice convexum, in universum sublibratum. *Oculorum* area 0.4 lata, series postica leviter recurvata, marginibus posticis oculorum mediorum cum punctis mediis lateralium lineam paululo procurvam designantibus; series antica paululo sursum curvata, marginibus inferioribus in lineam subrectam dispositis. Diametri oculorum posticorum 0.075, anticorum mediorum 0.055, lateralium 0.07 et 0.08 longae; oculi postici medii inter se 0.06, a lateralibus 0.055, a mediis anticis 0.075, hi inter se 0.025, a lateralibus 0.055, a margine clypei 0.19 remoti; area oculorum mediorum pone 0.21, ante 0.14 lata, 0.19 longa. *Mandibulae* (fortiter retractae) 0.55 longae, 0.26 basi latae, subtilissime reticulatae, in margine antico sulci unguicularis dentibus 3 armatae. *Sternum* subtilissime reticulatum. *Pedum* sex anteriorum femora supra aculeo 1, praeterea I in latere antico aculeis 1.1.1, patellae omnes uno, tibiae supra 1.1, praeterea I et II in utroque latere 1.1 aut 1.1.1 et subter aculeis 4 aut 6, tibiae III in utroque latere et subter 1, IV in utroque latere et subter 1.1 ornatae videntur (praeter aculeos minores ad apicem situs); metatarsi sex anteriores ex parte saltem supra aculeis 1.1, IV supra 1, I et II praeterea in latere antico saltem aculeo 1

instructi (pedum aculei, in exemplo nostro non omnes conservati, paulo mutabiles videntur). Internodia pedum I 2·25, 0·45, 2·36, 2·17, 1·29, pedum II 2·10, 0·42, 2·10, 2·01, 1·17, III 1·80, 0·36, 1·62, 1·59, 0·87, IV 2·25, 0·39, 2·07, 1·91, 1·04 longa. *Abdomen* 2·0 longum, 1·5 latum, 1·6 altum, desuper visum ovatum pone latius. *Epigyne* tuber format 0·52 latum, 0·35 longum, 0·32 altum, deorsum et retro directum, apicem versus modice angustatum et apice late rotundatum, quum a latere adspicitur. Apex tuberis huius in foveam excisus est ca. 0·3 latam, ca. 0·13 longam, deorsum angustatam, basi scapi complicati ex parte divisam et reliquis eius partibus repletam; ad marginem foveae epigyne pilis aliquot longis (in figuris nostris omissis) ornatur; basis scapi, aequabiliter cum margine foveae antico (inferiore) coniuncta, circiter 0·11 longa est, 0·15 lata, apicem versus leviter angustata, apice late truncata angulis rotundatis, margine postico leviter sinuato, modice in longitudinem convexa. Imprimis insignis est epigyne sculpturâ parietis basalis; hic subter in utroque latere in carinam humilem elevatus est retro et paulo foras directam, ad carinam intus late, non profunde excavatus; apices antici carinarum harum, inter se ca. 0·3 distantes, carinulâ aliâ coniunguntur, modice recurvatâ, prope a margine antico epigynae sitâ et ei parallelâ.

Abdomen avellaneum, ad mamillas infuscatum, venter umbrinus; color ceterum similis atque praecedentium.

Ma s ignotus.

Balićeva pećina prope Dugopolje in Dalmatia (leg. Prof. U. Girometta).

Typhloneta n. g.

Genus *Linyphiearum* *Taranucno* E. Sim. maxime affine, ab eo defectu oculorum distinctum.

Typhloneta fugax n. sp.

Tab. 16, fig. 31–35.

♀ *Femina*.

Cephalothorax 1·4 mm longus, 1·15 latus, supra basim palporum lateribus leviter sinuatis ibique 0·78 latus, omnium subtilissime reticulatus; dorsum a latere visum a margine postico arcu parum

inaequabili modice adscendens usque ad mediam circiter partem cephalicam, tum anteriora versus descendens et cum clypeo, qui paulo proiectus, non impressus est, in arcum latum coniunctum; fovea media sat profunda, diffusa; impressiones cephalicae modice profundae. *Mandibulae* 0.66 longae, 0.33 latae, subtilissime reticulatae, sub clypeo leviter convexae, a fronte visae latere exteriori in dimidio apicali paululo sinuato, apice intus rotundato angustatae, armatae in sulci unguicularis margine antico dentibus fortibus gracilibus tribus, secundo paulo magis a primo quam a tertio remoto, in margine postico dentibus parvis quatuor, inter se approximatis. *Sternum* 0.78 latum, 0.81 longum, fere laeve, modice convexum, inter coxas IV productum; hae inter se ca. 0.22 remotae. *Labium* semicirculare, 0.29 latum, 0.14 longum. *Maxillae* a basi labii 0.37 longae, a parte postica inferiore visae lateribus exterioribus subparallelis, apice paulo oblique rotundato truncatae. *Palporum* pars patellaris 0.22, tibialis 0.40, tarsalis 0.61 longa, haec unguiculo ornata longo (ca. 0.11 mm), tenui, fere aculeiformi, basi solum et apice paululo curvato, ceterum recto; pars patellaris apice setâ longâ, tibialis et tarsalis setis similibus et aculeis compluribus instructae. *Pedum* I femur supra aculeis 1.1.1 aut 1.1, ante 1.1.1, femur II supra 1.1, ante 1, III supra 1 aut 1.1, ante 1 aut 0, IV supra 1 (pone basim), patellae omnes 1, tibiae (praeter aculeos apicales duos breves) I et II supra 1.1, ante 1.1.1. pone 1.1, subter ante et pone 1.1, tibia III supra 1.1, ante et pone et subter 1, IV supra 1.1, ante 1.1.1, pone 1, subter 1, metatarsi I et II supra et in latere utroque 1, III et IV supra et ante 1 ornati videntur. *Internodia pedum* I 2.78, 0.52, 2.82, 2.62, 1.52, II 2.60, 0.49, 2.60, 2.46, 1.34, III 2.27, 0.44, 1.97, 2.01, 0.99, IV 2.60, 0.45, 2.49, 2.36, 1.28 longa. *Abdomen* 2.5 longum, 1.7 latum, 1.8 altum, formâ simili atque in *Lepthyphantis*. *Epigyne* modice evoluta, ab imo visa 0.48 lata, cum apice scapi retro prominenti 0.37, sine eo 0.28 longa, tuber format retro et deorsum directum, apicem versus insigniter angustatum, pariete inferiore apice truncato et leviter sinuato (quum a parte inferiore simulque paulo a fronte adspicitur) et in medio in processum producto 0.14 latum, 0.095 longum, basi paulo angustatum, apice truncatum angulis rotundatis; a parte posticâ inferiore visa epigyne foveâ ornatur ca. 0.26 latâ, 0.14 longâ, subsemicirculari, supra apertâ et hic lamellam continenti transversam, paululo deorsum curvatam, in medio paulo tenuiorem quam in lateribus; lamella

haec, quae manifesto pars est scapi complicati, etiam in epigynâ ab imo visâ conspicitur: duplo circiter latior quam longior, a basi apicem versus paulo dilatata, apice truncata angulis rotundatis, margine apicali paulo sinuato; pone eius marginem posticum apex scapi prominet ca. 0.09 longus, 0.08 latus, ovatus, subter excavatus.

M a s.

Cephalothorax 1.45 longus, in parte latissimâ 1.18, supra basim palporum 0.74 latus et levissime modo sinuatus. *Mandibulae* 0.6 longae, 0.31 latae, in latere exteriori non striatae (organum stridendi deest itaque). *Maxillae* a parte posticâ inferiore visae lateribus exterioribus paulo appropinquant inter se. *Palporum* pars femoralis subcylindrata, patellaris 0.19 longa, 0.15 lata, dorso insigniter, aequaliter convexo, prope apicem setâ gracili, ca. 0.5 longâ ornato; pars tibialis 0.23 longa, 0.14 lata, 0.16 crassa, dorso paene recto, subter modice, inaequaliter convexa, lateribus leviter convexis in longitudinem; pars tarsalis 0.40 longa, ca. 0.35 lata; lamina tarsalis in parte basali prope a margine exteriori (superiore) tubere ornata compresso, paulo oblique in longitudinem posito, triangulari, latiore quam longiore, apice obtuso, quum a latere adspicitur, sursum et foras directo; ad basim mediam lamina tarsalis tuberculo alio minore instructa est compresso, magis oblique posito, in latere interiori (inferiore) sulco acuto finito; pone medium lamina prope a margine exteriori tumida est, inter tumorem hunc et tuber supra dictum exterius impressione ornata, quae intus margine anteriora versus et paulo foras directo, acuto, optime definitur; secundum partem anteriorem marginis huius, in latere interiori, impressio sulciformis extenditur, quae prope medium marginem intus flectitur et leviter procurva prope a mediâ laminâ tarsali evanescit; impressio haec arcuata extrinsecus optime definita est, intus autem parum. Paracymbium mediocriter modo inaequale; margo eius superior, cum laminâ tarsali coniunctus, retro et deorsum directus, cum margine postico, deorsum et anteriora versus directo, et hic cum margine inferiore, qui anteriora versus et sursum directus est, angulos rectos formant et longitudine sunt non valde inaequali; pars antica superior paracymbii in sinum excisa magnum, triangularem, apice rotundatum; partes paracymbii superior et inferior extrinsecus convexae, pars postica concava, margine supra paulo dilatato et foras flexo. Stemma complicatum; partem eius interiorem, margini laminae tarsalis proximam sclerites format elongatus, inaequalis,

leviter foras curvatus, apice leviter dilatatus et rotundato truncatus; ab apice eius sclerites alius foras (sursum) extenditur in calcar robustum acutum desinens in parte stemmatis apicali exteriori; cum medio fere margine exteriori scleritae primi processus corneus coniungitur elongatus, sat latus, inaequalis: carinâ longitudinali obtusâ in parte apicali maiore ornatus, foras fere directus, tum anteriora versus aequabiliter curvatus, ad apicem stemmatis pertinens, apice oblique truncatus et in angulum acutum desinens; apici processus huius et calcari supra dicto interiecta est membrana pellucida, subtriangularis, oblonga, concava; inter processum arcuatum (qui certo embolus est) et paracymbium lamella est tenuis cornea, oblonga, anteriora versus et foras directa, convoluta: subter concava, apice profunde excisa et in uncus duos foras directos desinens. *Pedum* sex posteriorum femora supra aculeo 1, tibia III ante aculeis 1.1 instructa; reliquae pedum partes ut in feminâ aculeatae. Internodia pedum I 2.65, 0.48, 2.82, 2.82, 1.52, II 2.59, 0.47, 2.62, 2.59, 1.42, III 2.14, 0.45, 1.97, 2.07, 1.07, IV 2.59, 0.45, 2.43, 2.49, 1.26 longa. *Abdomen* 1.8 longum, 1.15 latum, 1.3 altum.

Cephalothorax flavidus aut dilute testaceus, eius appendices colore simili, sternum pallide flavidum, *abdomen* avellaneum.

Bosnia: Bjelašnica planina: Koćovica pećina (leg. Cel. C. Absolon).

Typhloneta salax n. sp.

Tab. 16, fig. 36—41.

Femina.

Cephalothorax 0.9 (—1.3) mm longus, 0.8 (—1.15) latus, omnium subtilissime reticulatus, impressionibus et dorsi a latere adpecti formâ similis cephalothoraci speciei praecedentis. *Mandibulae* (exempli cephalothorace 0.9 longo) 0.40 longae, 0.20 latae, paene leves, formâ et armaturâ simili atque in praecedenti. *Sternum* 0.60 latum, 0.58 longum (ab imo visum), paene laeve, inter coxas IV productum, ibi sursum curvatum, 0.08 latum, profunde excisum. *Labium* 0.21 latum, 0.095 longum. *Maxillae* a basi labii 0.26 longae. a parte posticâ inferiore visae lateribus exterioribus anteriora versus paulo inter se appropinquantibus, apice oblique truncatae angulo exteriori late rotundato. *Pedum* I internodia 2.27, 0.37, 2.33, 2.14, 1.29, pedum II 2.14, 0.35, 2.14, 1.97, 1.17, III 1.75, 0.30, 1.52, 1.52, 0.81, IV 2.17, 0.32, 2.01, 1.91, 1.00 longa. Femora sex anteriora supra

aculeo 1, patellae omnes 1, tibiae I et II supra et in latere utroque 1.1, III et IV supra 1.1, pone 1, metatarsi anteriores supra et in latere utroque, posteriores supra 1 ornati videntur. *Abdomen* 1.3 longum, 0.9 latum, altum. *Epigyne* magna valde, tuber corneum format crassum, 0.55 latum, 0.42 longum (ab imo visum), 0.32 altum, deorsum et retro directum, a latere visum 0.36 crassum, ante et infra aequabiliter, fortiter convexum, pone subrectum, apice scapi pone infra paulo prominenti. Paries basalis ab imo visus pone in sinum ca. 0.37 latum, modice profundum excisus; cum parte mediâ marginis postici parietis basalis coniungitur scapus basi ca. 0.06 latus, mox in lamellam dilatatus modice convexam, fere inverse cordiformem, 0.24 latam, ca. 0.18 longam, cuius margini postico medio adpressus est apex scapi oblongus, ca. 0.05 latus, deorsum fere directus; ad latus utrumque lamellae dictae margines cuiusdam partis alius scapi profundius sitae conspiciuntur, limbum ca. 0.025 latum formantes.

Mas.

Cephalothorax 1.25 mm longus, 1.1 latus, lateribus supra basim palporum paululo sinuatis. In exemplis, quae vidi, tribus pars thoracica fortiter depressa est, secundum margines laterales sulco ornata sat profundo, diffuso, a margine ca. 0.18 remoto; partes marginales, sulco hoc distinctae, paulo tumidae, pars media eis non evidenter altior, sulco longitudinali profundo diffuso dimidiata et utrimque impressionibus radiantibus binis instructa; pars cephalica multo altior quam thoracica, dorso anteriora versus lineâ parum curvatâ adscendenti; clypeus a latere visus levissime sinuatus, fortiter declivis sed longe non ad perpendicularum directus. (Quum his in rebus exempla, quae vidi, convenient inter se, facile crediderim cephalothoracem tali esse formâ etiam in vivis maribus et insigniter differre a cephalothorace feminarum). Pilis longis sat multis plus minusve erectis ornatur pars cephalica praesertim in regione areae oculorum respondentis. *Mandibulae* (retractae) 0.53 longae (cum parte in cephalothoracem retractâ, translucens, ca. 0.65 longae in lineâ mediâ), 0.26 latae, intus iam circiter in $\frac{1}{4}$ longitudinis a se discedentes, lateribus exterioribus in parte superiore subparallelis, in inferiore leviter discedentibus, armaturâ sulci unguicularis simili atque in feminâ. *Sternum* 0.73 longum, 0.78 latum, omnium subtilissime reticulatum, sat fortiter convexum. *Maxillae* lateribus exterioribus evidenter appropinquantibus inter se, apice oblique trun-

catae, angulo exteriori modice rotundato. *Palporum* pars patellaris 0·23 longa, 0·15 lata, setâ forti (basi ca. 0·015 crassâ), longâ (ca. 0·65) ornata; pars tibialis supra 0·24 longa, basi 0·095 lata, a basi insigniter dilatata (usque ad 0·22 mm) in utroque latere: in interiore usque ad apicem, in exteriori circiter usque ad medium, a latere visa dorso paulo sigmoidi, supra subterque apicem versus modice solum incrassata, processibus et setis insignibus carens. Pars tarsalis maxima, ca. 0·7 longa et crassa, ca. 0·55 lata. Lamina tarsalis prope basim ca. 0·3 lata, apicem versus primum leviter coarctata, tum usque ad 0·5 mm dilatata praesertim in latere exteriori, quod longe pone medium in sinum non magnum, anguliformem apice obtusum excisum est. Insigniter inaequalis est lamina tarsalis et fabricâ laminae speciei praecedentis non dissimilis. In parte basali prope a margine exteriori in callum humilem, fere cariniformem incrassata est ea; callus hic anteriora versus et paulo intus directus in palpo a latere viso parum prominet, paulo ante mediam longitudinem laminae anteriora versus et foras fractus in carinam abit foras impendentem, quam callus ipse paulo brevior; ad carinam, in eius parte dimidiâ apici propiore lamina insigniter impressa est, quae impressio ad mediam carinam interiora versus curvatur et, pone margine impendenti definita, primum intus et paulo anteriora versus, tum paulo magis anteriora versus directa, non procul a margine laminae interiori evanescit. Callo dicto et margini interiori laminae interiecta est carina sat alta, lamelliformis, brevior quam callus, basim laminae non attingens, desuper visa sigmoides, anteriora versus et paulo intus directa; secundum eam basis laminae profunde impressa est, in latere exteriori circiter usque ad medium carinae, in interiore secundum totam eius longitudinem. Paracymbium magnum, simile atque speciei praecedentis, sed lateribus superiore et inferiore appropinquantibus anteriora versus, angulis postico inferiore et postico superiore apice rotundatis, ramis superiore et inferiore non aequalibus fere, sed hoc quam ille angustiore, in carinam subacutam longitudinalem, ramo superiore autem in callum obtusum elevato. Stemmatis fabrica etiam similis atque praecedentis, sed sclerites interior ante deorsum et foras curvatus; sclerites lateri exteriori propior (medius) maior, latior, fortius (plus quam in semicirculum) curvatus. apicem versus dilatatus, latere exteriori aequabiliter arcuato, latere interiore exadversus apicem scleritae interioris dilatato; lamella scleritae medio et

paracymbio interiecta magnam partem occulta, angulo apicali exteriore solum, ni fallor, in arcum recurvatum desinenti. *Pedum* femora inermia videntur (ne radices aculeorum quidem in eis cer nere possum); reliquae pedum partes ut in feminâ aculeatae. Internodia pedum I 3·08, 0·42, 3·24, 3·30, 1·65, II 2·88, 0·42, 2·98, 2·98, 1·52, III 2·36, 0·35, (2·04, 2·11, 1·07¹), IV 2·88, 0·39, 2·82, 2·88, 1·29 longa. *Abdomen* 1·6 longum, ca. 1·0 altum et latum.

Color similis atque speciei praecedentis.

Hercegovina: Baba pećina prope Zavala et aliae speluncae vallis „Popovo polje“ (leg. Cel. K. von Arenstorff et Cel. C. Absolon).

Typhloneta affinis n. sp.

Tab. 16, fig. 42, 43.

Femina.

Cephalothorax 0·97 mm longus, 0·82 latus, supra basim palporum lateribus leviter sinuatis et ca. 0·5 latus, laevis; impressiones et dorsi forma probabiliter similes atque in feminis specierum praecedentium (exemplum nostrum paulo corrugatum est). *Mandibulae* 0·44 longae, 0·21 latae, obsolete transverse rugosae; sulcus unguicularis ante dentibus tribus, pone in alterâ mandibulâ denticulis quatuor, in alterâ quinque ornatus. *Sternum* laeve, aequae longum ac latum (0·57), inter coxas IV late productum; hae inter se 0·18 remotae. *Labium* semicirculare; *maxillae* in latere interiore eo triplo fere longiores (0·27 mm: 0·10). *Palporum* pars patellaris 0·18, tibialis 0·29, tarsalis 0·56 longa; unguiculus 0·08 longus, aculeiformis, inermis. *Pedum* sex anteriorum femora supra aculeo 1, praeterea I in latere antico aculeo 1 aut 1.1, patellae omnes 1, tibiae supra 1.1, praeterea I et II in utroque latere 1.1, III et IV utrimque 1, metatarsi I et II aculeis 3 (supra et in latere utroque), III et IV 1 supra ornati. Internodia pedum I 2·07, 0·37, 2·07, 1·78, 1·05, II 1·94, 0·36, 1·91, 1·68, 1·00, III 1·65, 0·33, 1·39, 0·97, 0·78, IV 2·04, 0·33, 1·81, 1·62, 0·87 longa. *Abdomen* (paulo contusum) ca. 1·4 longum. *Epigyne* tuber format 0·44 latum, ca. 0·29 longum, ca. 0·16 altum, similis est atque *Typhlonetae fugacis*; differt ab eâ foveâ paulo minore (0·23 latâ), scapi parte basali contra maiore (basi 0·13, in parte latissimâ 0·19 latâ, 0·12 longâ), foveae partem maiorem

¹) Moduli uncinis inclusi secundum aliud quoddam exemplum computati sunt.

itaque occupanti et cum apice scapi contingenti, parte scapi in foveâ supra sitâ fortius in lateribus incrassatâ (aut deorsum curvatâ) ita, ut a parte posticâ inferiore in utroque latere foveae superiore tuber conspiciatur oblongum, deorsum et paulo foras directum.

Color probabiliter similis atque praecedentium (exemplum nostrum nuper adultum videtur, colore nondum evoluto).

Dalmatia: spelunca ingens prope Zaton (leg. Cel. C. Absolon).

Nesticus Arenstorffii n. sp.

Tab. 16, fig. 50.

Femina.

Cephalothorax 2.1 mm longus, 1.7 latus, angustior quam *Nesticus cellulani* Clerck, ceterum similis, paene laevis, nitidus. *Oculorum* area 0.68 lata; series posterior paululo procurva, anterior recta; oculi omnes pallidi; diametri posticorum mediorum 0.135 et 0.115, lateraliurn 0.128 et 0.11, anticorum mediorum 0.08, lateraliurn 0.13 et 0.095 longae. Oculi postici medii inter se 0.145, a lateraliibus 0.095, a mediis anticis 0.095, hi inter se 0.095, a lateraliibus 0.07 remoti; area oculorum mediorum pone 0.36, ante 0.24 lata, 0.30 longa, clypeus sub eâ 0.39 altus. *Mandibulae* 0.8 longae, 0.4 latae, sub clypeo leviter convexae in longitudinem, laeves; sulcus unguicularis ante dentibus 3, pone denticulis minutis 5 (ni fallor) ornatus. *Sternum* laeve. Internodia *pedum* I 5.25, 0.86, 5.32, 5.25, 1.87, II 4.12, 0.80, 3.82, 3.82, 1.80, III 3.38, 0.70, 2.48, 2.70, 1.12, IV 4.58, 0.82, 3.67, 3.75, 1.42 longa. *Abdomen* 3.3 longum, 2.6 latum, 2.7 altum, desuper visum ovatum pone latius. *Epigyne* non elevata, 0.8 lata, ante male definita, latior quam longior, pone modice rotundata et in medio late, non profunde sinuata et depressa, foveis ornata duabus in lineâ mediâ fere contingentibus inter se, oblongis, foras et retro directis, in sulcos abeuntibus obtusos, modice latos, margini postico epigynae primum parallelos et ab eo ca. 0.12 remotos, tum anteriora versus et paulo intus curvatos; apices antici sulcorum horum inter se ca. 0.3, a margine postico epigynae ca. 0.37 distant; ad eos intus epigyne lineâ impressâ proximâ parallelâ instructa est.

Cephalothorax cum mandibulis et pedibus pallide ferugineus; sternum, maxillae, labium, palpi flavida. *Abdomen* fulvum; epigynae pars media pallide colorata, latera nigra.

Mas ignotus.

Hercegovina: Laketićeva pećina prope Trebinje (leg. Cel. K. von Arenstorff).

Typhlonesticus n. g.

Hoc genus, *Nesticis* E. Sim. adnumerandum, *Nestico* valde affine, differt ab eo defectu oculorum.

Typhlonesticus speluncarum n. sp.

Tab. 16, fig. 44, 45.

Femina.

Cephalothorax 2.25 mm longus, 2.0 latus, supra basim palporum lateribus insigniter sinuatis et ca. 0.98 latus, parte cephalicâ anteriora versus leviter angustatâ, fronte ca. 0.90 latâ, rotundato truncata; fovea media profunda, diffusa, transversa, plus minusve evidenter recurvata; impressiones cephalicae modice profundae; pars cephalica parum altior quam thoracica, dorso leviter convexo in longitudinem, aequabiliter coniuncto cum clypeo, qui paulo proiectus et paululo convexus est in longitudinem. Laevis et nitidus est cephalothorax, pilis inaequalibus suberectis pronis adpersus. *Sternum* laeve, 1.35 longum, 1.25 latum, subtriangulare, lateribus modice rotundatis, inter coxas IV, quae ca. 0.35 inter se distant, productum, apice leviter modo sursum curvato, anguste rotundato. *Mandibulae* 0.87 longae, 0.45 latae, laeves, dorso paululo modo convexo in longitudinem in parte superiore, lateribus exterioribus levissime sigmoideis, in universum inter se parallelis, intus circiter a medio a se discedentes, denique oblique truncatae, in sulci unguicularis margine antico armatae dentibus duobus sat fortibus et superius dente uno multo minore; margo posticus sulci inermis. *Labium* 0.27 longum, 0.52 latum, paene semicirculare, in longitudinem planum (margine apicali non incrassato). *Maxillae* a basi labii 0.65 longae, a parte posticâ inferiore visae 0.4 latae, modice inter se appropinquantes (lateribus exterioribus inter se pone ca. 0.91, ante 0.78 remotis), apice oblique rotundatae, angulo exteriori mediocriter modo expresso. *Palpi* graciles, parte patellari 0.46 longâ, 0.26 latâ, tibiali 0.78 longâ, 0.23 latâ, tarsali 1.72 longâ; unguiculus 0.24 longus, gracilis, basi sat fortiter, apice leviter deorsum, in dimidio apicali autem paululo sursum curvatus, serie denticulorum minorum ca. 10, confertissimorum, cum unguiculo angulos acutos

formantium, circiter in $\frac{1}{4}$ unguiculi initium capienti, ad $\frac{1}{2}$ pertinenti ornatus. *Pedes* graciles, pilis longis ornati, aculeis carentes (evidentioribus saltem). Unguiculi principales pedum I ca. 0.24 longi, fere aequabiliter, modice curvati, dentibus ca. 8 inter se proximis, gradatim maioribus (eorum maximus aequè circiter longus atque unguiculus latus) armati; pars unguiculi basalis circiter $\frac{1}{4}$ et apicalis dimidia fere inermes; unguiculus impar ca. 0.13 longus, gracillimus, in dimidio basali fortiter deorsum, in apicali leviter sursum curvatus, apice vix deflexo, in dimidio basali denticulo minuto, inaequali (tamquam e denticulis tribus composito) instructus. Pili in series subter in tarsi IV dispositi reliquis crassiores, paululo procurvi et scabri (ei saltem, qui in latere postico inferiore siti sunt, numero ca. 15). Internodia pedum I 6.52, 1.05, 6.48, 6.60, 2.55, II 5.40, 0.98, 4.87, 5.14, 2.10, III 4.2, 0.82, 3.00, 3.40, 1.50, IV 5.8, 0.94, 4.84, 4.72, 1.80 longa. *Abdomen* 4.0 longum, 3.2 latum, 3.5 altum, globoso ovatum. *Colulus* optime evolutus, 0.18 latus, 0.11 longus. *Epigyne* cornea, prominens, tuber format ca. 0.9 latum, ca. 0.6 longum (ante male definitum), ca. 0.4 altum, deorsum et retro directum, quum a latere adspicitur: subtriangulare latere antico magnam partem recto, tum retro et denique paulo sursum curvato, cum latere postico, quod deorsum et paululo retro directum est, in angulum subrectum coeunt. Ante et subter et in lateribus convexa est epigyne, pone autem subplana; latus posticum infra carinam obtusam finitur, in lateribus evanescenti; sculpturam evidentiore caret epigyne.

Cephalothorax cum sterno et appendicibus flavidus, mandibulae paululo, pedes apicem versus insigniter colore rufo suffusi; *abdomen* avellaneum; epigyne obscure colorata.

Mas ignotus.

Dalmatia meridionalis: Krivošije; in speluncis (leg. Cel. C. Absolon).

Typhlonesticus (?) *parvus* n. sp.

Tab. 16, fig. 46.

Femina (exemplum unicum, molle, collabens, probabiliter nuper adultum, difficile ad describendum).

Cephalothorax 0.9 mm longus, 0.78 latus, laevis, supra basim palporum leviter sinuatus et ca. 0.47 latus, parte cephalicâ anteriora versus sat fortiter angustatâ, eius lateribus cum margine clypei in

arcum paene aequabilem coniunctis in cephalothorace desuper ad-
specto; dorsum cum clypeo a latere visum fere aequabiliter arcu-
atum, puncto summo prope medium sito. *Mandibulae* (retractae)
0·39 longae, 0·17 latae, armaturâ — ni fallor — simili atque prae-
cedentis. *Sternum* 0·52 longum, 0·57 latum, inter coxas IV, quae
inter se ca. 0·21 distant, productum, apice modice sursum curvato,
anguste rotundato. *Labium* 0·21 latum, 0·095 longum, margine apicali
modice distincte incrassato. *Maxillae* a basi labii 0·21 longae (loco suo
motae, lateribus exterioribus parallelis; — in mare non adulto latera
haec appropinquant inter se anteriora versus). *Palporum* pars patellaris
0·17 longa, 0·105 lata, tibialis 0·29 longa, 0·09 lata (in mediâ parte),
tarsalis 0·55 longa, unguiculo ornata ca. 0·095 longo, angusto, leviter
et aequabiliter arcuato, denticulis duobus parvis, inter se proximis,
circiter in $\frac{2}{3}$ longitudinis armato. *Pedes* longi, tenues, longe pilosi,
patellae aculeis singulis, tibiae aculeis binis tenuibus instructae;
unguiculi principales ca. 0·08 longi, denticulis minutis duobus (?
fortasse tribus) in mediâ parte ornati; unguiculus impar ca. 0·04
longus, in dimidio basali subito deorsum curvatus, ceterum sub-
rectus (levissime sursum curvatus), inermis, ni fallor. Internodia
pedum I 2·30, 0·44, 2·17, 1·83, 0·87, II 1·75, 0·39, 1·42, 1·39, 0·74,
III 1·46, 0·35, 1·04, 1·10, 0·62, IV 2·04, 0·40, 1·72, 1·42, 0·68 longa.
Abdomen 1·5 longum, 1·2 latum, 1·3 altum, ovatum. *Epigyne* pro-
minens, ca. 0·35 lata, ab ano visa 1·12 alta; partem eius mediam
posteriorem tuber format albidum, 0·19 latum, ca. 0·12 longum
(ante mediocriter definitum), pone leviter, ante fortiter rotundatum,
a parte posticâ visum rotundato triangulare; partes laterales corneae,
humiliores, praesertim posteriora versus, pone intus — non procul
a ventre — foveâ profundâ transversâ ornatae. *Colulus* evolutus.

Cephalothorax cum appendicibus pallide flavidus, *abdomen* avel-
laneum.

Mas adultus ignotus.

Hercegovina: Ilijina pećina prope Trebinje (leg. Cel. K. von
Arenstorff).

Tegenaria annulata Kulcz.

Tab. 16, fig. 48, 51, 52.

Mas.

Cephalothorax 6·0 mm longus, 4·7 latus; *pedes* I $43\frac{1}{2}$, II $36\frac{3}{4}$,
III $30\frac{3}{4}$, IV $37\frac{1}{2}$, pedum I tibia cum patellâ 13·6 longa, meta-

tarsus eadem longitudine, partes respodentes pedum IV 11·1 et 13·6 longae, *abdomen* 6·7 longum, 3·8 latum; *mamillarum* infimarum pars basalis 0·9, apicalis 0·73, mamillae supremae 0·73 longae. *Palporum* pars patellaris 1·0 longa, 0·58 lata, processu nullo ornata, pars tibialis 0·97 longa, 0·65 lata, desuper visa basi et apice leviter angustata in latere exteriori, in apice lateris huius processibus tribus, alter supra alterum sito, et ad basim processus medii processu quarto albo ornata; processus infimus ca. 0·25 longus, 0·13 latus, lamelliformis, albidus acie inferiore fuscâ, a latere visus apicem versus leviter angustatus, apice oblique rotundatus, angulo superiore quam rectus minore, foras et anteriora versus et paululo sursum directus; acies inferior processus huius in carinam abit retro et paulo foras directam, circiter $\frac{3}{4}$ longitudinis internodii occupantem; processus medius corneus, compressus, infimo proximus, a latere visus eo brevior, ca. 0·15 longus, ca. 0·13 latus, latere inferiore recto et fere librato, cum superiore convexo in angulum acutum coëuntibus; processus supremus item lamelliformis, praecedentibus multo latior, anteriora versus minus productus, a latere exteriori simulque paulo desuper visus basi 0·32 latus, 0·24 longus, apicem versus subito angustatus, lateribus: inferiore concavo et superiore convexo, in angulum valde acutum, deorsum et foras directum coëuntibus; processus hic foras curvatus est sive extrinsecus concavus; dens ad basim processus medii situs fortiter compressus est, latior quam longior, apice rotundatus, basi in longitudinem directâ, foras et paulo anteriora versus et deorsum spectat. Lamina tarsalis 2·8 longa, 1·15 lata; stemma (loco suo paulo motum) in utroque latere extra laminam desuper adspectam prominet; conductor emboli pone anguste truncatus est et in dentem gracilem, foras et paulo retro et deorsum directum productus; bulbus basi in latere exteriori calcari instructus foras fere directo, deorsum curvato, basi lato, lamelliformi acie deorsum directâ, prope medium subito angustato.

Palpi huius speciei valde similes sunt palpis *Tegenariae tridentinae* L. Koch (cuius feminam olim ut speciem propriam: *T. austriaca* descripsi)¹⁾, differunt tamen paulo formâ partis tibialis et stemmatis. *Tegenariae tridentinae* (Tab. 16, fig. 49, 53, 54) processus tibialis infimus brevior est, apicem versus aequaliter supra subterque an-

¹⁾ Cel. Roger de Lessert, qui precibus meis indulgens, marem et feminam *Tegenariae tridentinae* benigne mihi communicavit, gratias maximas ago.

gustatus, apice obtusus; processus medius, qui manifesto processui medio una cum dente ad eius basim sito respondet, sinu ca. 0.05 lato optime distinctus a processu infimo, totus corneus, compressus, lamelliformis, latior quam longior (ca. 0.15 et 0.1 mm), apice truncatus angulis rotundatis, paulo oblique positus: basi et acie apicali deorsum et paulo foras directis, a latere visus anteriora versus et deorsum directus; processus supremus similis atque in *T. annulatâ*, sed a latere exteriore superiore visus angustior (0.19 latus), latere superiore cum apicali non in arcum aequabilem coniuncto sed in angulum subrectum coëunt. Conductor emboli brevior, vix quartam partem laminae tarsalis, neque eius dimidium, ut in *T. annulatâ*, attingit; basis conductoris latius truncata, angulis in dentes corneos duos productis; horum exterior foras et deorsum et retro directus, leviter procurvus, interior modo retro fere directus, modo exteriori fere parallelus.

Marem adultum legit Cel. C. Absolon in speluncâ „Baba pećina“ (Hercegovina).

Tegenaria (Histopona) conveniens n. sp.

Tab. 16, fig. 47, 55, 56.


Femina huius speciei valde similis est *Tegenariae luxurianti* Kulcz.; differt ab eâ pedibus paulo longioribus (tibia IV cephalothoracem longitudine aequat) et lamellâ epigynae, quae vittâ mediâ angustâ paulo fortius quam reliquae partes flavidae induratâ, fulvâ ornatur.

Cephalothorax 2.8 mm longus, 1.9 latus. *Oculorum* posteriorum mediorum margines postici cum punctis mediis lateralium et margines inferiores anteriorum mediorum cum punctis mediis lateralium lineas designant subrectas. Diametri oculorum posteriorum 0.135, anteriorum mediorum 0.095, lateralium 0.15 et 0.135 longae; oculi postici medii inter se 0.06, a lateralibus 0.088, a mediis anticis 0.068, hi inter se 0.048, a lateralibus 0.02, laterales anticis a posticis 0.04, a margine clypei 0.18, oculi medii ab hoc margine 0.023 remoti; area oculorum mediorum pone 0.30, ante 0.23 lata, 0.28 longa. *Oculorum* situs paulo mutabilis, posteriorum saltem; horum intervalla lateralia medium multo minus nonnunquam — fortasse saepe — superant, quam commodum dictum est (ex. gr. medium 0.08, lateralia 0.10, aut illud 0.75, haec 0.088 longa esse possunt).

Mandibulae 1.25 longae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3, in postico 4 aut 5 armatae. Internodia *pedum* I 2.63, 0.98, 2.51, 2.48, 1.73, II 2.63, 0.98, 2.10, 2.36, 1.50, III 2.48, 0.90, 2.10, 2.35, 1.31, IV 3.07, 0.94, 2.85, 3.41, 1.54 longa. *Abdomen* (mamillis exclusis) 3.5 longum, 2.2 latum. *Epigyne* lamellâ instructa glabrâ, laevi, 0.65 latâ, 0.53 longâ, cordiformi, ante in sinum ca. 0.06 profundum excisâ, pone solum circiter in $\frac{1}{3}$ longitudinis cum reliquâ epigynâ connatâ, ceterum marginibus liberis, mediocriter solum induratâ, flavidâ, secundum medium vittâ angustâ, fulvâ ornatâ.

M a s.

Cephalothorax 2.6 mm longus, 1.85 latus. Diametri *oculorum* posticorum mediorum 0.128, lateraliurn 0.135, anticorum mediorum 0.095, lateraliurn 0.148 et 0.128 longae; oculi postici medii inter se 0.067, a laterilibus 0.074, a mediis anticis 0.068, hi inter se 0.04, a laterilibus fortasse 0.008, laterales antici a posticis 0.028 remoti; area oculorum mediorum pone 0.31, ante 0.21 lata, 0.28 longa; clypeus sub eâ 0.27, sub oculis lateribus 0.23 altus. *Palporum* pars patellaris 0.52 longa, cum processu 0.5, eo excluso 0.34 lata, supra aculeis 1.1 armata, latere exteriori inferiore toto dilatato, quum desuper simulque a parte exteriori adspicitur: paululo pone basim in angulum fracto, in parte apicali oblique truncato in mediâ parte in processum excurrenti anteriora versus et deorsum et foras directum, paulo compressum, paulo latioreni quam longiorem, lateribus subparallelis, apice rotundato truncatum, angulo posteriore late rotundato, angulo anteriore in dentem brevem producto. Pars tibialis 0.48 longa supra in lineâ mediâ, 0.32 lata, basi sat fortiter angustata praesertim in latere exteriori, margine apicali exteriori in lamellam compresso infra et ante rotundatam, in angulo antico superiore in dentem productam oblongum acutum, fere anteriora versus directum; ad dentem hunc intus pars tibialis unco instructa est corneo, fulvo, gracili, anteriora versus et paulo foras directo, deorsum curvato; subter pars tibialis modice compressa est, supra et in latere interiori setis fortibus 4 ornata. Pars tarsalis 1.9 longa, 0.65 lata; stemma simile atque in *Tegenaria torpida* C. L. Koch et *T. luxurianti*; eius lamella sub rostrum laminae tarsalis producta (conductor emboli) apice modice solum dilatata et oblique rotundata (lamella haec in *T. torpidâ* apice in circulum dilatata est in margine postico sinu acuto finitum, in *T. luxurianti* intermediam fere format habet inter lamellas *T. torpidae* et *T. convenientis*); retro



lamella haec in latere exteriori stemmatis usque ad eius basim pertinet et hic transverse truncata est, angulo exteriori late rotundato, angulo interiori recto, minute apiculato (in *T. torpidâ* oblique rotundata, in *T. luxurianti* in angulum acutum contracta); pars basalis stemmatis infra nullo dente evidentiore instructa (ut in *T. torpidâ*; in *T. luxurianti* hoc loco dens acutus, deorsum directus cernitur, quum stemma a latere exteriori adspicitur). Internodia pedum I 2·85, 0·9, 2·78, 2·78, 1·80, II 2·81, 0·9, 2·48, 2·66, 1·72, III 2·74, 0·9, 2·32, 3·00, 1·50, IV 3·30, 0·9, 3·11, 4·08, 1·88 longa. *Abdomen* 2·7 longum, 1·5 latum.

Cephalothorax fulvus subconcolor aut utrimque vittâ paulo obscuriore, parum perspicuâ, latâ, diffusâ ornatus; mandibulae, maxillae, sternum, palpi, pedes parum differunt colore a cephalothorace, sternum plerumque paulo pallidius, marginibus leviter infuscatis; labium infuscatum. *Abdomen* subter umbrino-cinereum, supra umbrinum picturâ umbrino-cinereâ plus minusve expressâ ornatum: ante vittae duae oblongae et maculae parvae duae rotundatae, pone eas sitae, vittam includunt reliquo dorso non evidenter obscuriorem, longe pone medium et in apice utrimque ramum foras et retro directum emittentem; insequuntur in dorsi dimidio posteriore anguli refracti tres, gradatim tenuiores, in medio nonnunquam interrupti, et pone eos lineae paucae transversae recurvatae, inter se proximae aut confusae; tuberculum anale et mamillae supremae sordide flavidae, mamillae infimae plerumque obscuriores fulvae.

Hercegovina orientalis et meridionali-orientalis: Bělušica pečina prope Zavala et aliae speluncae (leg. C. Absolon, K. von Arenstorff, J. Kletler).

Explicatio tabulae.

1. *Paraleptoneta orientalis* n. sp., palpus feminae sinister.
2. *Centromerus subcaecus* n. sp., epigyne ab imo visa.
3. *Centromerus silvicola* Kulcz., epigyne ab imo visa.
4. *Lepthyphantes spelaeorum* n. sp., epigyne a latere sinistro visa.
5. Eadem ab imo visa.
6. Eadem species; partes patellaris et tibialis palpi sinistri maris a latere exteriori visae.
7. Eadem species; palpi sinistri maris partes tibialis et tarsalis ab imo visae.
8. Eadem species; paracymbium palpi sinistri maris cum parte quadam laminae tarsalis a latere exteriori visum.

9. *Lepthyphantes istrianus* n. sp., epigyne a parte anticâ inferiore visa.
10. Eadem pars a latere sinistro visa.
11. *Lepthyphantes centromeroides* n. sp.; palpi sinistri maris pars tarsalis ab imo visa.
12. Eadem species; palpi sinistri maris partes patellaris, tibialis, tarsalis a latere exteriore visae.
13. Eadem species; palpi sinistri maris pars tarsalis a latere interiore visa.
14. *Taranucus troglodytes* n. sp.; pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa.
15. Eadem pars a latere interiore visa.
16. Eadem pars desuper visa.
17. Eiusdem speciei paracymbium sinistrum.
18. Eadem species; palpi sinistri maris partes patellaris et tibialis.
19. Eadem species; epigyne a latere sinistro visa.
20. Eadem pars ab imo visa.
21. *Taranucus dalmaticus* n. sp.; epigyne ab imo visa.
22. Eadem pars a latere postico inferiore visa.
23. Eadem a latere sinistro visa.
24. *Holocnemus Absolonii* n. sp.; mandibula sinistra maris a fronte visa.
25. Eadem species; pars apicalis palpi sinistri maris desuper simulque a latere exteriore visa.
26. Eadem a latere exteriore visa.
27. Eadem species; pars tarsalis palpi sinistri maris a latere interiore visa.
28. *Taranucus Giromettai* n. sp.; epigyne a latere sinistro visa.
29. Eadem ab imo visa.
30. Eadem a parte posticâ visa.
31. *Typhloneta fugax* n. sp.; epigyne ab imo visa.
32. Eadem a parte posticâ inferiore visa.
33. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris desuper visa.
34. Eiusdem speciei paracymbium sinistrum et lamina tarsalis a latere exteriore simulque paulo desuper et a parte posticâ visa.
35. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa.
36. *Typhloneta salax* n. sp.; epigyne ab imo visa.
37. Eadem a latere sinistro visa.
38. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa.
39. Eiusdem speciei partes patellaris, tibialis, tarsalis palpi sinistri maris a latere interiore visae.
40. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris desuper visa.
41. Eiusdem speciei paracymbium sinistrum a latere exteriore visum cum partibus quibusdam stemmatis et laminae tarsalis.
42. *Typhloneta affinis* n. sp.; epigyne a parte posticâ visa.
43. Eadem ab imo visa.
44. *Typhlonesticus speluncarum* n. sp.; epigyne a latere sinistro visa.
45. Eadem pars ab imo visa.
46. *Typhlonesticus* (?) *parvus* n. sp.; epigyne ab imo visa.
47. *Tegenaria (Histopona) conveniens* n. sp.; epigyne ab imo visa.

48. *Tegenaria annulata* Kulcz.: pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa.
49. *Tegenaria tridentina* L. Koch; pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa.
50. *Nesticus Arenstorffii* n. sp.; epigyne ab imo visa.
51. *Tegenaria annulata* Kulcz.; pars tibialis palpi sinistri maris a latere exteriore visa.
52. Eiusdem partis dimidium apicale a latere exteriore inferiore visum.
53. *Tegenaria tridentina* L. Koch; dimidium apicale partis tibialis palpi sinistri maris a latere exteriore visum.
54. Idem a latere exteriore inferiore visum.
55. *Tegenaria (Histopona) conveniens* n. sp.; partes patellaris et tibialis palpi sinistri maris a latere exteriore simulque paululo a parte postica visae.
56. Eadem species; partes patellaris, tibialis, tarsalis palpi sinistri maris.

Pili in plerisque figuris omissi sunt.

Narzędzia pyszczkowe larwy jętki Oligoneuria rhenana i ich zanik u formy dojrzalej. — Die larvalen Mundwerkzeuge bei Oligoneuria rhenana und ihre Verkümmierung bei Imago.

Mémoire

de M. K. SIMM,

présenté, dans la séance du 2 Mars 1914, par M. A. Wierzejski m. t.

(Planches 17 et 18).

Einleitung.

Die Lebensverhältnisse in Gebirgsbächen rufen bei den in denselben lebenden Tieren vielfach weitgehende morphologische Veränderungen hervor. So finden wir bei Larven von Insekten öfters besondere Einrichtungen, welche ihnen das Verweilen in rasch fließendem Wasser ermöglichen. Zu solchen gehören u. a. die Haftapparate, welche dem Tiere dazu dienen, sich am Boden der Bäche festzuklammern.

Die Haftapparate der Insektenlarven können sich an verschiedenen Körperteilen ausbilden. Die Larve einer Dipterenart, *Liponeura brevisrostris* Löw, besitzt an der Bauchseite sechs Haftnäpfe, mit welchen sie sich an glatten Steinen so stark anklammert, daß sie selbst in Wasserfällen der Treibkraft des Wassers widersteht. Ein anderes Beispiel der Anpassung an die physikalischen Lebensverhältnisse in rasch fließendem Wasser liefert uns die Larve der Ephemeride *Oligoneuria rhenana* Imh., deren Mundgliedmaßen teilweise zum Haftorgan umgebildet sind.

Die larvalen Mundteile der Ephemeriden sind beißend und weisen, wie dies von Sternfeld (10) gezeigt wurde, eine große Mannigfaltigkeit in ihrem Bau auf; sie bildeten auch schon mehrmals den Gegenstand spezieller Untersuchungen. Auffallenderweise sind

aber gerade die recht eigenartigen Verhältnisse bei *Oligoneuria rhenana* bisher unberücksichtigt geblieben, selbst von Sternfeld, dem wir ein vergleichendes Studium der larvalen Ephemeriden-Mundteile und ihrer Umbildung bei der Metamorphose verdanken. Vorliegende Mitteilung möge zur Ausfüllung dieser Lücke dienen.

I. Die larvalen Mundgliedmaßen von *Oligoneuria rhenana*.

Die Körperlänge der Larve von *Oligoneuria rhenana* Imh. beträgt (ohne Schwanzborsten) zirka 13 mm (Fig. 1, Taf. 17). An der Unterseite des Kopfes sieht man die enorm stark ausgebildete Unterlippe, welche alle übrigen Mundteile bedeckt. Zum Schwimmen dient das erste Beinpaar, welches an den Vorderrändern mit langen Schwimmbaaren besetzt ist. Am der Grenze zwischen Kopf und Bruststück befindet sich jederseits je ein an die 1. Maxille angeheftetes Büschel von Kiementracheen.

Der Vorderrand des Kopfes ist in einen gewölbten Schild ausgezogen und bildet samt der Unterlippe einen Haftapparat. Die Mundteile der *Oligoneuria*-Larve bestehen aus der Oberlippe (*labrum*), den Oberkiefern (*mandibulae*) und drei Paar Unterkiefern (*maxillae*), von denen das zweite Paar einen Zungenapparat (Innenlippe) (*endolabium*, *hypopharynx*) darstellt.

